



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

XIII. De haereticis & eis qui eos receptant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

sus privilegij beneficio vel apostolico remedio prævalente. Alios verò, quos ad respondendum aliis secundùm leges terræ pro præmissa causâ asserunt non teneri, nolumus excusari quin eos ad respondendum sublato appellationis impedimento compellas.

TITULUS XIII.

De hæreticis & eis qui eos receperant.

*Idem universis Christi fidelibus tam in urbe Metensi quàm ejus diocesi constitutis.*

Cum ex injuncto nobis apostolatus officio facti simus secundùm Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, pro universorum salute nos oportet esse sollicitos, ut & malos retrahamus à vitiis, & bonos in virtutibus foveamus. Tunc autem opus est discretione majori cum vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & angelus satanæ se in angelum lucis simulatè transformat. Sanè significavit nobis venerabilis frater noster Metensis Episcopus per litteras suas quòd tam in diocesi quàm in urbe Metensi laicorum & mulierum multitudo non modica tracta quodammodo desiderio scripturarum, evangelia, epistolas Pauli, Psalterium, Morale Job, & plures alios libros sibi fecit in Gallico sermone transferri, translationi hujusmodi adeo libenter, utinam autem & prudenter intendens, ut secretis conventionibus talia inter se laici & mulieres cructare præsumant & sibi invicem prædicare, qui etiam aspernantur eorum consortium qui se similibus non immiscent; & à se reputant alienos qui aures & animos talibus non apponunt: quos cum aliqui parrochialium sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem resisterunt, conantes rationem inducere de scripturis quòd ab his non debent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidiunt; & cum ipsis per eos verbum salutis proponitur, se meliùs habere in libellis suis & prudentiùs se posse id eloqui submurmurant in occulto. Licet autem desiderium intelligendi divinas scripturas & secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed potiùs commendandum, in eo tamen apparent meritò arguendi quòd tales occulta conventicula celebrant, officium sibi prædicationis

usurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, & eorum consortium aspernantur qui talibus non inhærent. Deus enim lux vera, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, in tantum odit opera tenebrarum ut Apostolos suos in mundum univèrsum prædicaturos evangelium omni creaturæ missurus, eis apertè præceperit, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, predicare super tecta.* per hoc manifestè denuntians quòd evangelica prædicatio non in occultis conventiculis, sicut hæretici faciunt, sed in Ecclesiis juxta morem catholicum est publicè proponenda. Nam juxta testimonium veritatis, omnis qui malè agit odit lucem, & ad lucem non venit, ne ejus opera arguantur. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Propter quod cum Pontifex interrogasset Jesum de discipulis suis & de doctrina ejus, respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagogis & in templo, quò omnes Judei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Porro si quis obiciat quòd juxta præceptum dominicum non est sanctum dandum canibus, nec margaritæ mittendæ sunt ante porcos, cum & Christus ipse quidem non omnibus, sed solis Apostolis, dixerit *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis*, intelligat canes & porcos non eos esse qui sanctum gratanter accipiunt & margaritas libenter acceptant, sed illos qui sanctum dilacerant & margaritas contemnunt, quales sunt qui evangelica verba & ecclesiastica sacramenta non ut catholici venerantur, sed abominantur potius ut hæretici, oblatrantes semper & blasphemantes; quos Paulus Apostolus post primam & secundam commonitionem docet esse vitandos. Arcana verò fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantum qui ea possunt fideliter concipere intellectu. Propter quod simplicioribus inquit Apostolus: *Quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam.* Majorum est enim solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos. Inter vos autem nil judicavi me scire nisi Christum Iesum & hunc crucifixum.* Tanta est enim divinæ scripturæ profunditas ut non solum simplices & illiterati, sed etiam

Lib. 2. epist.  
145.

prudentes & docti, non sufficiant plenè ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit scriptura, *quia multi defecerunt scrutantes scrutinio*. Unde rectè fuit olim in lege divina statutum ut bestia quæ montem tetigerit lapidetur; ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad subtilitatem scripturæ sacræ peringere vel etiam aliis prædicare. Scriptum est enim: *Altiora te ne quæsieris*. Propter quod dicit Apostolus, *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Sicut enim multa sunt membra corporis, omnia verò membra non eundem actum habent, ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium; quia secundum Apostolum, alios quidem Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores &c. Cum igitur ordo Doctorum sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium usurpare. Nam, secundum Apostolum, quomodo prædicabunt nisi mittantur. Et Veritas ipsa præcepit dicens: *Rogate dominum messes ut mittat operarios in messem suam*. Quòd si fortè quis argutè respondeat quòd tales invisibiliter mittantur à Deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cum invisibilis missio multò sit dignior quàm visibilis, & divina longè melior quàm humana, (Unde Johannes Baptista non legitur missus ab homine, sed à Deo, sicut Evangelista testatur: *Quia fuit homo missus à Deo cui nomen erat Iohannes*) potest & debet utique ratione prævia responderi quòd cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantum asserere quòd ipse sit missus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus asseveret; sed oportet ut astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi vel per scripturæ testimonium speciale. Unde cum Dominus mittere vellet Moïsem in Ægyptum ad filios Israël, ut crederetur ei quòd mitteretur ab ipso, dedit ei signum ut converteret virgam in colubrum & colubrum iterum reformaret in virgam. Johannes quoque Baptista missionis suæ speciale testimonium protulit de scriptura, respondens sacerdotibus & Levitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset & qualiter baptizandi sibi officium assumpsisset: *Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta*. Non est ergo credendum ei qui se dicit missum à

Deo, cum non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de scripturis vel evidens miraculum operetur. Nam & de his qui missi leguntur à Deo Evangelista testatur quòd ipsi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Licet autem scientia valde sit necessària sacerdotibus ad doctrinam, quia juxta verbum propheticum *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*, non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam à scholasticis detrahendum, cum in eis sacerdotale ministerium debeat honorari. Propter quod Dominus in lege præcepit, *Diis non detrahes*, sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis & officij dignitatem deorum nomine nuncupantur. Juxta quod alibi dicit de servo volente apud dominum remanere, ut dominus offerat eum diis. Cum enim juxta verbum Apostoli servus suo domino stet aut cadat, profectò sacerdos ab Episcopo, cujus est correctioni subjectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem à populo, cujus est correctioni præpositus, in spiritu superbiæ reprehendi; cum juxta præceptum Domini pater & mater non debeant maledici, sed potius honorari, quod de spirituali patre multò fortius debet intelligi quàm carnali. Nec quisquam suæ præsumptionis audaciam illo defendat exemplo, quòd asina legitur reprehendisse Prophetam, vel quòd Dominus ait, *Quis ex vobis arguet me de peccato? & si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo*, cum aliud sit fratrem in se peccantem occultè corrigere; (quod utique quicumque tenetur efficere secundum regulam evangelicam, in quo casu sanè potest intelligi quòd Balaam fuit correptus ab asina) & aliud patrem suum etiam delinquentem reprehendere manifestè, ac præcipuè fatuum pro simplici appellare, quod utique nulli licet secundum evangelicam veritatem. Nam qui etiam fratri suo dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Rursus aliud est quod Prælati se sponte, de sua confisus innocentia, subditorum accusationi supponit, (in quo casu præmissum Domini verbum debet intelligi) & aliud est quòd subditus, non tam animo corripiendi quàm detrahendi, exurgit temerarius in Prælatum, cum eum potius maneat necessitas obsequendi.

Quòd

## Innocentij III. Romani Pontificis. 569

Quòd si fortè necessitas postularit ut sacerdos, tanquam inutilis aut indignus, à cura gregis debeat removeri, agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio quàm destitutio sacerdotum noscitur pertinere. Illud autem, tanquam de supercilio Pharisæorum procedens, debet ab omnibus aspernari, quòd tanquam ipsi soli sint iusti, ceteros aspernantur; cum & hæcenus ab initio nascentis Ecclesiæ multi fuerint viri sancti qui nec tales fuisse leguntur nec talibus adhæsisse, cum de novo tales surrexisse legantur. quòd nisi contenti sint doceri potius quàm docere, ad illos forsitan pertinebit quibus Dominus ait: *Nolite fieri plures magistri.* Nos ergo, filij, quia paterno vos affectu diligimus, ne sub prætextu veritatis in foveam decidatis erroris, & sub specie virtutum in laqueum vitiorum, mandamus quatenus ab his quæ superius reprehensibilia denotavimus & linguam & animum revocetis, fidem catholicam & regulam ecclesiasticam observantes, ne vos verbis fallacibus circumveniri vel etiam circumvenire contingat: quia nisi correctionem nostram & ammonitionem paternam receperitis humiliter & devotè, nos post oleum infundemus & vinum, severitatem ecclesiasticam apponentes; ut qui noluerint obedire spontanei, discant acquiescere vel inviti.

### IDEM EPISCOPO ET CAPITULO Metens.

**S**icut Ecclesiarum Prælati incumbit ad capiendum vulpes parvulas, quæ demoliri vineam Domini moliuntur, prudenter & diligenter intendere, sic est eis summopere præcavendum ne ante messem zizania colligantur, ne forsitan cum eis triticum evellatur. Sanè sicut non debet hæretica pravitas tolerari, sic enervari non debet religiosa simplicitas; ne vel patientia nostra hæreticis audaciam subministret, vel simplices impatientia nostra confundat, ut nobis disruptis convertantur in arcum perversum, & in hæreticos de simplicibus commutentur. Sanè significasti nobis per litteras tuas quòd tam in diocesi quàm in urbe Metensi &c. *ut supra usque* in occulto. Quia verò in dubiis non est de facili sententia proferenda, cum quòd vel iidem errent in fide, vel à doctrina discrepent salutari, nobis per tuas litteras, frater Episcopo, non duxe-

Tom. I.

ris exprimendum, cum opinionem & vitam eorum penitus ignoremus qui sacras scripturas taliter transtulerunt, aut eorum qui docent taliter jam translatas, quorum neutrum potest fieri sine scientia litterarum, licet in his arguendi merito videantur quòd occulta conventicula celebrant, officium sibi &c. *usque* non in hærent, mandamus quatenus eos commonere diligentius studeatis, rationibus & exhortationibus innitentes ut ab his in quibus apparent reprehensione notabiles omnino desistant, nec officium sibi vendicent alienum. Inquiratis etiam sollicitè veritatem quis fuerit actor translationis illius, quæ intentio transferentis, quæ fides utentium, quæ causa docendi, si sedem apostolicam, & catholicam Ecclesiam venerantur; ut super his & aliis quæ necessaria sunt ad indagandam plenius veritatem per litteras vestras sufficienter instructi quid statui debeat melius intelligere valeamus. Revocandi autem eos & convincendi secundum scripturas super his quæ reprehensibilia denotavimus viam vobis in litteris quas communiter illis dirigimus aperimus.

### IDEM CLERO ET POPULO Viterbiensi.

**V**ergentis in senium seculi corrupte- Lib. 2. epist. 1.  
lam non solum sapiunt elementa corrupta, sed & dignissima creaturarum ad imaginem & similitudinem condita conditoris, prælata privilegio dignitatis volucris cæli & bestiis univæ terræ, testatur; nec tantum eo quasi deficiente jam deficit, sed inficit & inficitur scabra rubigine vetustatis. Peccat enim ad extremum homo miserrimus; & qui non potuit in sui & mundi creatione in paradiso persistere, circa sui & orbis dissolutionem degenerat, & pretij suæ redemptionis circa fines seculorum oblitus, dum variis ac vanis quæstionum nexibus ingerit, se ipsum laqueis suæ fraudis innectit, & incidit in foveam quam paravit. Ecce etenim inimico homine messi dominicæ superfeminante semen inquam, segetes in zizania pullulant vel potius polluantur, triticum arefcit & evanescit in paleas, in flore tineæ, & vulpes in fructu demoliri vineam Domini moliuntur. Nova siquidem sub novo testamento Achor progenies de spoliis Jerico regulam auream palliolumque furantur, & Abiro, Dathan, & Chore so-

C C C

boles detestanda novis thribulis fermentatum thymiam novis voluit altari-  
bus adolere, dum nox nocti scientiam in-  
dicat, dum cœcus præbet cœco ducatum,  
dum hæreses pullulant, & quem divinæ  
reddit hereditatis expertem, suæ consti-  
tuit hæreticus hæresis & damnationis he-  
redem. Hi sunt capones qui aquam vino  
commiscent & virus draconis in aureo  
calice Babylonis propinant, habentes se-  
cundum Apostolum speciem pietatis, vir-  
tutem autem ejus penitus abnegantes.  
Licet autem circa vulpes hujusmodi par-  
vulas, species quidem habentes diversas,  
sed caudas adinvicem colligatas, quia de  
vanitate conveniunt in idipsum, diversa  
prædecessorum nostrorum temporibus  
emanaverint instituta, nondum tamen  
usque adeo pestis potuit mortificari mor-  
tifera quin sicut cancer amplius serperet  
in occulto, & jam in aperto suæ virus ini-  
quitatis effundat, dum palliata specie reli-  
gionis & multos decipit simplices, &  
quosdam seducit astutos, factus magister  
erroris qui non fuerat discipulus veritatis.  
Ne autem nos, qui licet circa horam un-  
decimam, inter operarios tamen immo  
super operarios vineæ Domini Sabaoth  
sumus à patrefamilias evangelico depu-  
tati, & quibus ex officio pastoralis sunt  
oves Christi commissæ, nec capere vul-  
pes demolientes vineam Domini nec ar-  
cere lupos ab ovibus videamur, & ob hoc  
merito vocari possimus canes muti non  
valentes latrare, ac perdamur cum malis  
agricolis, & mercenario comparemur,  
contra defensores, receptatores, fauto-  
res, & credentes hæreticorum aliquid se-  
verius duximus statuendum, ut qui per se  
ad viam rectitudinis revocari non pos-  
sunt, in suis saltem defensoribus & fauto-  
ribus ac etiam credentibus confundan-  
tur, & cum se viderint ab hominibus evi-  
tari, reconciliari desiderent unitati. De  
communi ergo fratrum nostrorum consi-  
lio, assensu quoque Archiepiscoporum  
& Episcoporum apud sedem apostolicam  
existentium, districtius inhibemus ne quis  
hæreticos receptare quomodolibet vel  
defendere aut ipsis favere vel credere  
quoquomodo præsumat, præsentis decre-  
to firmiter statuentes ut si quis aliquid  
horum facere fortè præsumpserit, nisi  
primò secundòve commonitus à sua su-  
per hoc curaverit præsumptione cessare,  
ipso jure sit factus infamis, nec ad publi-  
ca officia vel consilia civitatum nec ad

eligendos aliquos ad hujusmodi nec ad  
testimonium admittatur. Sit etiam inte-  
stabilis, nec ad hereditatis successorem  
accedat. Nullus præterea ipsi cogatur su-  
per quocumque negotio respondere.  
Quod si forsan iudex extiterit, ejus sen-  
tentia nullam obtineat firmitatem, nec  
causæ aliqua ad ejus audientiam perfe-  
rantur. Si fuerit Advocatus, ejus patro-  
cinium nullatenus admittatur. si tabellio,  
instrumenta confecta per ipsum nullius  
penitus sint momenti, sed cum auctore  
damnato damnentur. In similibus etiam  
idem præcipimus observari. Si verò Cle-  
ricus fuerit, ab omni officio & beneficio  
deponatur, ut quò major est culpa, gra-  
vior exerceatur vindicta. Si quis autem  
tales, postquam ab Ecclesia fuerint de-  
notati, contempserint evitare, anathe-  
matis se noverit sententiam incurrisse. In  
terris verò nostræ temporali jurisdictioni  
subiectis bona eorum statuimus publica-  
ri. Et in aliis idem fieri præcipimus per  
potestates & principes seculares, quos ad  
id exequendum, si fortè negligentes exi-  
sterent, per censuram ecclesiasticam ap-  
pellatione postposita compelli volumus  
& mandamus. Nec ad eos bona ipsorum  
ulteriùs revertantur, nisi his ad cor re-  
deuntibus & abnegantibus hæreticorum  
confortium aliquis voluerit misereri, ut  
temporalis saltem pœna corripiat quem  
spiritualis non corrigit disciplina. Cum  
enim, secundum legitimas sanctiones,  
reis læsæ majestatis punitis capite, bona  
confiscentur ipsorum, eorum filiis vita  
solummodo ex misericordia conservata,  
quanto magis qui oberrantes in fide Do-  
mini Dei filium Jesum Christum offen-  
dunt, à capite nostro, quod est Christum,  
ecclesiastica debent distinctione præcidi  
& bonis temporibus spoliari, cum longè  
sit gravius æternam quàm temporalem  
lædere majestatem. Nec hujus severitatis  
censuram orthodoxorum etiam exhere-  
datio filiorum quasi cujusdam miseratio-  
nis prætextu debet ullatenus impedire,  
cum in multis casibus etiam secundum  
divinum iudicium filij pro patribus tem-  
poraliter puniantur, & juxta canonicas  
sanctiones quandoque feratur ultio non  
solum in auctores scelerum sed & in pro-  
geniem damnatorum. Decernimus ergo  
&c. nostræ inhibitionis & constitutionis  
&c.